

sit, quia non obstante tali dispositione ministri, illud malum seu peccatum, quod ibi miscetur, non potest attribui petenti sacramentum, tanquam cooperanti vel inducenti, seu solum dici potest illud permittere.

44. Dixi autem, posse intervenire justam necessitatem vel utilitatem, quia, ut hoc liceat, non existimo necessitatem extremam aut valde gravem, aut necessitatem implendi divinum præceptum expectandam esse, ut Soto censuit; sed minores causæ poterunt sufficere, sicut sufficiunt in aliis actionibus humanis, quæ nec graviores sunt, neque homini utiliores, ut propter eas obtinendas, peccata proximi non minora permittantur. Exempla sunt supra posita, de juramento, quod licet ab idololatra postulare, non tantum quando ille est paratus ad jurandum, sed etiam si interdum non sit; ut si oportet eum testimonium dicere in aliqua gravi causa et iudicio, possum illum rogare et inducere ad ferendum veritati testimonium, eamque juramento confirmandam, quamvis ibi non interveniat magna necessitas, sed utilitas, ut, v. gr., obtinendi jus meum, seu rem aliquam temporalem; ergo multo magis in hac causa, de qua agimus, sufficit aliqua rationalis occasio, præsertim cum ipsemet usus sacramenti, per se sumptus, maximæ utilitatis sit. Simile argumentum sumi potest ab alio exemplo de mutuo, quod licet petere ab aliquo, qui exacturus est usuras, etiam si paratus non sit ad mutuandum, dummodo rationalis causa intercedat, quamvis non sit extrema vel gravis necessitas. Et ratio universalis est, quia cum illa petitio ex se non sit occasio peccandi, nec sit mala, neque habeat speciem mali, non habet rationem scandali activi, etiam respectu hominis non parati; ad vitandum autem scandalum passivum non tenemur cum tanto rigore, et ideo ex rationabili causa permitti potest. Igitur hæc conditiones ministrorum, scilicet, quod teneantur ex officio ministrare, aut quod sint parati, per se solæ non sufficiunt ad regulas generales tradendas, sed unica regula hic est ratio charitatis, et ordo, atque obligatio ejus. Nihilominus tamen prædictæ conditiones non sunt contemnendæ, sed prudenter considerandæ in particularibus actionibus. Quia multum conferre possunt, ut cum minori causa vel necessitate hoc liceat. Nam quia (ut dicebam) ipsamet sacramenta sunt per se valde utilia animæ, ideo hæc ratio per se sufficit, moraliter loquendo, ut liceat petere sacramentum a ministro, qui vel ex

officio tenetur, vel paratus est, etiam si in peccato sit ministraturus, si non est alius, qui sine peccato ministret; respectu vero alterius ministri non parati, vel non obligati, nonnulla major causa erit necessaria; non tamen dubito, quin sufficiat necessitas implendi Ecclesiasticum præceptum Missæ audiendæ, aut communicandi, vel utilitas non differendi nimium usum sacramenti confessionis, vel communionis; præsertim si intercedat conscientia peccati mortalis, aut aliquid simile, quia nulla est sufficiens ratio ad coarctandam seu restringendam magis hanc facultatem.

45. *Quæ necessitas sufficiat ad permissionem peccati ministrantis sacramentum.* — Quod ut probabilius fiat, considerandum ultimo est, non esse necessarium, ut petenti sacramentum constet, ministrum esse bene dispositum, quia hæc cura non est illi commendata; satis ergo erit, ut illi non constet illum esse male dispositum. Ergo ut obligetur ad non petendum sacramentum, oportebit, ut moraliter ei constet, ministrum esse male dispositum, et cum ea mala dispositione ministraturum sacramentum; hoc autem difficillimum est judicare, nisi ubi manifeste constat ministrum esse in diuturna consuetudine, et proxima occasione alicujus peccati. Et tunc quidem majori opus est prudentia et iudicio ad petendum sacramentum ab hujusmodi ministro. Extra hunc vero casum, etiam si contingat, videre sacerdotem paulo ante mortaliter peccantem, potest ab illo peti sacramentum, etiam si non sit paratus, neque ex officio illud dare teneatur, quia semper potest sperari, eum fore convenienti modo disponendum, quod brevissimo tempore præstare potest.

46. Tertio colligitur ex dictis, aliam etiam distinctionem, quæ in usu solet esse in hac materia de recipiente sacramentum ab iniquo ministro (an sit tantum accipiens, vel etiam petens), hanc (inquam) distinctionem non esse admodum necessariam. Primo quidem, quia hic tantum est sermo de adultis ratione utentibus; nam illi solum sunt capaces hujus obligationis, de qua agimus; nam si sint infantes, vel amentes, aut dormientes, clarum est non posse peccare, si eis detur aliquod sacramentum ab iniquo ministro; adulti autem utentes ratione nunquam accipiunt sacramentum, quin aliquo modo petant. Deinde, quia omnia, quæ diximus, non solum de accipiente, sed etiam de petente, vera sunt, ut patet ex rationibus et exemplis, quibus usi

sumus. Neque de accipiente, quantumvis a petente distinguatur, potest alia regula tradi præter eam, quæ a nobis data est. Solum posset fingi casus, in quo sacerdos iniquus, qui jus habet dispensandi sacramentum, v. gr., Eucharistiam, sit in actuali dispensatione ejus, paratus actualiter ad dandum omnibus, qui accedunt; tunc enim ab eo recipere sacramentum, videtur acceptio fere nihil habens admixtum petitionis. Et tunc sine ulla morali limitatione dici potest esse licitum accipere, quia ibi nulla ratio cooperationis ad malum, neque scandalum aut occasio ruinæ datur, ut facile ex dictis constat; quod quidem, licet verum sit, tamen in principiis positus continetur, et juxta ea intelligendum est.

47. *Num peccet is, qui ministrat alteri in actione sacra, quam prave exercet.* — Ultimo ex his potest obiter expediri dubium de eo, qui ministrat sacerdoti iniquo, non petendo vel accipiendo ab illo sacramentum, sed solum deserviendo illi in actione sacra, quam ipse prave exercet, ut, v. gr., ministrando Missæ, quam ille dicit in peccato, vel serviendo Episcopo ordinanti alios in statu peccati mortalis, an in hujusmodi cooperatione aliqua culpa interveniat. Dicendum est enim, in hoc servanda esse duo principia supra indicata. Primum, si talis sit actio, ut a sacerdote vel Episcopo aut quolibet alio, non possit licite fieri, ministrare illi seu cooperari tali actioni semper esse malum, quia tunc non est separabilis malitia ab actione; ergo, qui inservit actioni, cooperatur actioni malæ. Item, quia si sacerdos non potest licite illam actionem sacram exercere, vel id est, quia non habet potestatem simpliciter, vel quia non habet jus, vel quia est ab Ecclesia suspensus; quocumque autem istorum modorum contingat, est malum cooperari tali actioni, quia primum est directe sacrilegium; secundum est usurpatio alieni juris; tertium vero est contra obedientiam Ecclesiæ debitam. Secundum est: quando actio sacra per se est bona, et ab eo, a quo fit, rite et recte fieri potest, et tamen ex malitia ejus indigne fit, non est per se malum inservire illi, seu ministrare in hujusmodi actione, ut patet ex dictis. Quia actio ex se bona est, et circumstantia malitiæ ministri est valde extrinseca, et ideo non peccat, qui sacerdoti malo præbet vestes, aut vasa sacra ad Missam faciendam, quia ille non cooperatur malitiæ ejus. Et idem est de ministrante ei in sacrificio. Verum est tamen, speculative loquendo, etiam

hic habere locum, regulam charitatis supra positam, quod si quis commode potest vitare hujusmodi ministerium, ut alius non peccet, debet id facere; nam procedit hic eadem ratio. Nihilominus tamen moraliter loquendo, vix potest hoc ad usum applicari. Quia neque vitari commode potest hoc ministerium, neque ea de causa vitabitur peccatum, et ideo non sunt hujusmodi scrupuli his ministris injiciendi.

SECTIO II.

Utrum teneantur semper ministri sacramentorum non dare illa indigne petentibus.

1. Præcipua difficultas hujus questionis, et maxime moralis ac practica, tractatur a D. Thomæ infra, quæst. 68, art. 4, et quæst. 80, art. 6, in particulari de sacramento baptismi et Eucharistiæ; quibus locis et præcipue in posteriori ex professo tractanda hæc res est. Et ideo hoc loco solum est in genere notandum duplex caput, unde oriri potest hæc obligatio, juxta dicta sect. præced. Unum est ex præcepto directe imposito ministro non dandi sacramenta indignis. Aliud est generale præceptum non cooperandi peccato alterius.

2. *An sit examinanda dispositio recipientis, et quantum.* — Dico ergo primo, ministrum sacramentorum, per se loquendo, proprio et speciali præcepto teneri ad non dandum sacramenta his, qui indigne ad illa accedunt. Conclusio est communis et certa. Probatur, quia, cui commissa est sacramenti administratio, consequenter et ex natura rei præceptum est, ut illud munus peragat, tanquam fidelis dispensator et prudens; ergo ex vi hujus præcepti tenetur non dare sacramentum homini indigno. Patet consequentia, quia hoc pertinet ad fidelem et prudentem dispensationem sacramenti, et ad cultum ac reverentiam ei debitam. Et confirmatur, nam hæc ratio tenetur sacerdos Eucharistiam in loco decenti collocare; quod si illam in terram projiceret, graviter peccaret contra officium suum; ergo similiter dando quodlibet sacramentum indigno. Dices: satisne erit, ut sacerdoti non constet, eum, qui sacramentum petit esse indignum; aut oportebit eum aliquam diligentiam adhibere, ut moraliter sibi constet alium digne petere? Videtur enim hoc esse grave onus et scandalis expositum, si oporteat sacerdotem de aliorum vita et dispositione inquirere. Respondetur, non posse

nos universalem regulam, in omnibus sacramentis servandam, tradere. Quamvis enim in omnibus verum sit, omnem illum hominem, quem non constat esse malum, præsumendum esse bonum, nihilominus tamen in unoquoque sacramento, juxta ejus naturam et conditionem, prudentia opus est ad hoc iudicium ferendum. Nam in baptismo, v. gr., quia est janua sacramentorum, prærequiritur examen de fide suscipientis, et quia est regeneratio, et prima translatio a statu peccati ad statum gratiæ, et vivi membri Christi, prærequirit etiam moralem diligentiam circa dispositionem suscipientis. At vero ad confirmationem vel Eucharistiam sufficit, quod is, qui petit vel accedit ad sacramentum, per baptismum habeat jus petendi, et quod de illo non constet esse in statu peccati. Si autem constiterit antea fuisse in hujusmodi statu, oportebit, ut aliqua signa contritionis ediderit, aut etiam, quod confessus fuerit, si Eucharistiam sit recepturus. Quæ omnia per se intelligenda sunt ac juxta prudentiam moralem et humanam. Nam interdum ipsamet petitio sacramenti a tali persona vel tali modo facta, potest esse signum sufficiens bonæ dispositionis absque aliis signis; aliquando vero talis potest esse conditio personæ, et modus petendi, ut majori diligentia opus sit, maxime si scandalum alicujus peccati præcessit; tunc enim, etiam aliis satisfacere oportebit, ne majus scandalum oriatur. Quæ omnia eodem modo procedunt in sacramento extremæ unctionis. In sacramento autem penitentiae, quia administratur per modum iudicii, in quo minister juste iudicaturus est, ad eum spectat accuratius causam examinare, cujus præcipua pars est dispositio rei, qui absolvendus est, vel ligandus. Rursus in sacramento Ordinis, quia per illud admittuntur homines ad sacrum ministerium, ideo diligentius tenetur Episcopus examinare qualitatem et statum personæ, ut et digna sit tanto sacramento, et apta ad tale ministerium, ut videre licet in Concil. Trident., sess. 23. Denique in sacramento matrimonii, quia non solum est sacramentum, sed etiam inducit vinculum perpetuum, et præterea, quia est talis contractus, quem si contingat non esse validum, poterit esse occasio multorum peccatorum, ideo pastores Ecclesiæ diligenter curare debent, ut ad tale sacramentum homines non accedant, nisi cum omnibus conditionibus requisitis, et cum dispositione debita, ut constat ex Concil. Trident.,

sess. 24, de quibus omnibus in propriis locis latius dicemus.

3. Dixi in conclusione, per se loquendo, quia per accidens interdum potest dari aliquod sacramentum, v. gr., Eucharistia, peccatori occulto, publice petenti, ad vitandum scandalum, vel injustam proximi infamiationem, ut latius dicemus in materia de Eucharistia.

4. *Dare sacramentum prave disposito, esset cooperari ejus pravitati.* — Dico secundo: etiam tenetur minister sacramenti, per se loquendo, non dare sacramentum indigno, ne cooperetur peccato ejus. Probatur aperte, quia tunc receptio suscipientis est mala; ergo cooperari ad illam etiam erit malum; sed nulla potest esse major cooperatio ad recipiendum, quam ipsummet dare; peccat ergo tunc sacerdos duplici titulo, scilicet, quia agit contra proprii officii obligationem, et quia juvat alterum ad peccandum. Nec refert, quod alter paratus sit, nec quod interius peccatum suum commiserit, quia ipsamet exterior receptio est peccatum exterius, ad quod cooperari non licet, quantumvis parato animo ab alio fiat. Dices: illa exterior receptio per se non est mala; quin potius est ex objecto bona, solumque habet malitiam per accidens adjunctam ex prava dispositione subjecti, ad quam nullo modo concurrat, qui sacramentum ministrat; ergo ex vi illius ministerii non concurrat ad malum. Respondetur, satis esse, quod hic et nunc talis receptio in hoc homine sit mala, et quod minister nullam habeat sufficientem causam dandi sacramentum homini sic prave disposito; tunc enim moraliter cooperatur malitiæ ejus, cooperando receptioni ejus, quam deberet vitare, cum posset. Quod ideo addo, quia ut supra dixi, in aliquo casu accidere potest, ut minister moraliter non possit negare sacramentum homini iniquo petenti, propter scandalum vel similem causam. Et tunc quamvis illud det, non cooperatur iniquæ receptioni, ut iniqua est, sed solum ut receptio sacramenti est, quia ipse utitur jure suo, et dat operam rei de se licitæ, quam non potest eo tempore vitare.

5. *Utrum liceat inducere ad recipiendum qui prave suscepturus est.* — Sed quæres, utrum, sicut interdum licet, ob hujusmodi occasionem, dare sacramentum peccatori, ita etiam aliquando liceat, ob necessitatem, inducere peccatorem ad recipiendum sacramentum; non quidem inducendo illum, ut in peccato sumat. Nam per se notum est, hoc esse

intrinsece malum, sed inducendo illum, ut sumat, etiam si mihi constet inique esse sumpturum; non quia non possit, si velit, licite sumere; alioquin esset intrinsece malum, illum inducere, quia non esset separabilis malitia a sumptione; sed quia voluntarie sumpturus creditur sine debita dispositione. Respondetur, hoc non esse intrinsece malum, quia hoc formaliter non est inducere ad malum, sed ad bonum, permittendo malum, quod ex objecto et intrinsece malum non est. Quia vero non semper est bonum, ad iudicandum, an talis permissio sit licita, et consequenter, an moraliter censenda sit permissio vel cooperatio, servandæ sunt regulæ supra tractatæ, charitatis et prudentiæ; nam si occurrat sufficiens ratio et necessitas, quæ juxta ordinem charitatis satis sit ad tolerandum illud malum, propter aliquod aliud bonum, tunc po-

terit hoc esse licitum; quando vero causa vel necessitas sit hujusmodi, prudenti arbitrio relinquendum est. Rarius tamen accidet hæc necessitas in recipiente, quam in dante; nihilominus tamen non est dubium, quin aliquando possit intervenire; ut, v. gr., si oporteat populum audire sacrum in die festo, et non sit alius sacerdos, nisi peccator, licet illum inducere ad faciendum sacrum, in quo communicaturus est, licet ex malitia sua sit in peccato sacrificaturus. Similiter, si valde expediat, ut aliqui statim contrahant matrimonium ad vitandum aliquod scandalum, quod postea timetur, licitum erit eos inducere ad contrahendum statim, eos admonendo, ut se disponant, quamvis fortasse timeatur, non fore disponendos; et idem potest in Ordine accidere, et similes casus possunt facile excogitari.

ET HACTENUS DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET DE PRIMA HUIUS LIBRI PARTE,
AD HONOREM DEI DICTUM SIT.

